MASTER
NEGATIVE
NO.

91-80344-9

AUTHOR:

DAUMANN, A

TITLE:

C. JULII CAESARIS COMMENTARIUM ...

PLACE:

BRAUNAU

DATE:

[1893]

Master Negative #

91-80344-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Daumann, Adolph,
...C. Julii Caesaris commentariorum supplementa quomodo inter se cohaereant. I. [scripsit] Adolphus Daumann... Braunau, Swirak, [1893]
35 p. 27 cm.


At head of title: Jahres-bericht des öffentlichen Stifts-obergymnasiums der Benedictiner in Braunau in Böhmen am schlusse des schuljahres 1893...


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 11/26 INITIALS MED
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT








AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202









No. 7

Jahres-Bericht

des öffentlichen

STIFTS-OBERGYMNASIUMS

der Benedictiner

in

BRAUNAU in BÖHMEN

am Schlusse des Schuljahres

1893.

INHALT:

1. C. Julii Caesaris commentariorum supplementa quomodo inter se cohaereant. I. Adolphus Daumann.
2. Schulnachrichten, vom prov. Director.

BRAUNAU.
Druck von J. Swirak.

C. Julii Caesaris commentariorum supplementa quomodo inter se cohaereant.

I.

Adolphus Daumann.

Praefatio.

Quaestio, quam suscepi tractandam, difficillima est multorumque virorum doctissimorum operam ac laborem evocavit, neque tamen adhuc ad finem perducta est. Quorum virorum scriptis ut fundamento quodam nisus ad rem propositam accedam.

Postquam G. Landgrafius librum suum (Untersuchungen zu Caesar und seinen Fortsetzern. Erlangen 1888) foras dedit, ad quaestionem hanc Caesarianam accesseram atque in ea studium meum et operam collocaveram. Interea autem viri doctissimi velut Ed. Woelfflin, W. v. Hartel, H. Schillerus, R. Schneider, Ad. Miodonski, alii hanc rem diligentissime in disceptationem vocaverunt. Quorum virorum libris perlectis valde sum gavisus nonnullos illorum virorum doctissimorum in eandem sententiam loqui, ad quam ego meo iudicio veneram. Res igitur haec ut excuteretur via et ratione, omnes illos libros recentissimos in usum me vocare necesse erat. Sed muneris officiis et rebus domesticis impeditus in posteriore demum parte quaestionis meae, quam anno postero editurus sum, illis quoque libris tempus et diligentiam adhibebo. Virorum doctorum opuscula magis minusve a me in usum vocata, quae hic adferre omisi, suo loco laudabuntur.

Pars prima.

Libri manuscripti, in quibus C. Julii Caesaris commentarii nobis asservati sunt, praeter genuina illius scripta etiam commentarium, qui dicitur octavus de bello Gallico, atque tres libros de bellis Alexandrino, Africano, Hispaniensi continent. Qui cum a Caesaris loquendi ratione plane discrepent, iam veteribus exstitit quaestio, utrum omnes uni auctori, an pluribus essent tribuendi. Suetonius enim de Caesaris commentariis (in vita Caes. c. 56) haec scribit: „Reliquit (Caesar) et rerum suarum commentarios Gallici civilisque belli Pompeiani. Nam Alexandrini Africique et Hispaniensis incertus auctor est: alii Oppium putant, alii Hirtium, qui etiam Gallici belli novissimum imperfectumque librum suppleverit."

His Suetonii verbis docemur eum dubitavisse, cuinam auctori libros de bellis Alexandrino, Africano, Hispaniensi tribueret, sed Hirtium auctorem libri octavi de bello Gallico esse putavisse. Coniunctivum „suppleverit" Nipperdeius (in quaestionibus Caesar. editioni suae praemissis p. 10) optime est interpretatus: „coniunctivo nihil aliud indicatur nisi ea verba ab iis adiecta esse, qui reliquorum quoque librorum Hirtium auctorem esse contendebant." Et in epistula ad Balbum octavo libro de bello Gallico praemissa haec leguntur verba: „Caesaris nostri commentarios rerum gestarum Galliae non cohaerentibus superioribus atque insequentibus eius scriptis contexui novissimumque imperfectum ab rebus gestis Alexandriae confeci usque ad exitum non quidem civilis dissensionis, cuius finem nullum videmus, sed vitae Caesaris."

Secundum hoc testimonium quattuor, de quibus agimus, libri ab uno eodemque homine scripti sunt. Quaerentes igitur nos, quis sit auctor epistulae ad Balbum, codicum Caesarianorum maiore parte de ea re non docemur. Attamen in optimis quibusdam codicibus legitur in fine libri octavi nomen A. Hirtii. Quod a quibusdam codicibus liber octavus, et ab uno meliore codice etiam libri de bellis Alexandrino et Africano Caesari tribuuntur (Nipp. p. 9.), eandem vim habet atque si nihil de horum librorum auctore traderetur.

Testimonium autem codicum optimorum confirmatur Suetonii verbis, qui Hirtium de Caesaris commentariis praedicare dicit, quae in epistula ad Balbum scripta sunt. Sueton. in vita Caesar. c. 56: „De isdem commentariis Hirtius ita praedicat: Adeo probantur omnium iudicio, ut praerepta, non praebita facultas scriptoribus videatur. Cuius tamen rei maior nostra quam reliquorum est admiratio; ceteri enim, quam bene atque emendate, nos etiam, quam facile atque celeriter eos praescripserit, scimus.“ Cf. epist. ad Balbum § 5 et 6.

Itaque si haec duo codicum Suetoniique testimonia respicimus, omnino cum Nipperdeio faciendum est, qui A. Hirtium auctorem epistulae ad Balb. esse statuit. Quod Weissenbornius (Jahns Jahrb. 1849 p. 375 ss) contra Nipperdeium profert, non tanti est, ut eius sententiam sequamur.

Quominus Oppium auctorem statuamus, impediunt quaedam, quae in epist. ad Balb. leguntur. Quod auctor ep. ad Balb. queritur: „mihi ne illud quidem accidit, ut Alexandrino atque Africano bello interessem,“ et in Hirtium et in Oppium cadit. Alexandriae Oppius cum Caesare non fuit, sed eo tempore Romae aut in Italia commorabatur (Cic. in ep. ad Att. 11, 7, 5. 8, 1. 14, 2. 17, 2. 18) neque in Africam Caesarem secutus est (Cic. in ep. ad fam. 9, 6, 1). Oppius igitur legatus, qui in libro de bello Africano (c. 68) commemoratur, non fuit ille Caesaris familiaris, de quo nunc agimus (Nipp. p. 10). Neque in Hispaniam Oppius Caesarem est secutus, cum Romae maneret (Cic. in ep. ad Att. 12, 29, 2. 44, 4. 13, 19, 2. 50).

Hirtius vero, cum Caesar Alexandriae pugnaret, in Achaia provincia erat. Cf. Cic. in ep. ad Att. 11, 14, 3: „Quintus pergit, ut ad me et Pansa scripsit et Hirtius, isque item Africam petere cum ceteris dicitur:“ Atque ex Cic. ep. ad Att. 11, 10, 1 discimus Quintum fratrem Patris in Achaia provincia fuisse. Postea Hirtium cum Caesare Antiochiae fuisse comperimus ex Cic ep. ad Att. 11, 20, 1: „qui se Antiochiae diceret apud Caesarem vidisse Quintum filium cum Hirtio.“ Quare eum Caesarem contra Pharnacem comitatum esse atque cum illo Romam revertisse verisimile est (Nipperd. p. 10). Et cum Caesar in Africa esset, Hirtius in Italia commorabatur (Cic. in ep. ad Att. 12, 2, 2. ad fam. 9, 6, 1). Sed in Hispania cum Caesare fuit (Sueton. in vit. Aug. c. 68. cf. Nipperd. p. 10 s.).

Cum igitur Hirtium epistulam illam scripsisse intellegamus, quaestio statim oritur, utrum Hirtius omnia illa scripserit supplementa necne. Suetonius loco supra allato librum de bello Gallico octavum Hirtio tribuit, cum de

tribus reliquis libris dubitet. Et id sane concedendum est Hirtium, si epistulam ad Balbum eum composuisse statuimus, librum saltem octavum de bello Gallico scripsisse. Nam si elocutionem et epistulae illius et libri octavi respicimus, eum, qui epistulam ad Balbum scripsit, etiam librum octavum composuisse facile intellegimus. De hac re Landgrafius (p. 64 s.) nonnulla detexit. „non quidem“ legitur et in epist. ad Balb. § 2 (ad exitum non quidem civilis dissensionis — — sed vitae Caesaris) et in libro octavo de bello Gallico (8, 41, 5 turris — — non quidem, quae moenibus aequaret, — — sed quae superare fontis fastigium posset). Verbum suscipiendi cum gerundivo constructum in his libris, de quibus agimus, nusquam invenitur nisi in epist. ad Balb. § 3 (quos susceperim scribendos) et in libro octavo (8, 52, 4 cum causam dignitatemque defendendam suscepisset).*) Vocabulum „insequens“ (= posterus), quod in libro octavo quater (23, 1. 28, 1. 48, 10. 50, 4), in libro de bello Alexandrino nusquam legitur, etiam in ep. ad Balb. § 2 (insequentibus scriptis) occurrit. —

Quaestionem, num Hirtius omnia illa scripserit supplementa, ut solvamus, necesse est primum inquiramus ipsos quattuor libros, num ab uno eodemque auctore eos compositos esse verisimile sit, deinde considerandum erit, num Hirtio satis temporis cetera omnia fuerint ad hos libros scribendos.

Quattuor hosce libros si respicimus, fieri nequit, ut omnes ab uno auctore compositos esse statuamus. Nam libri de bello Africano et de bello Hispaniensi cum a duobus reliquis tum inter se plane discrepant, ita ut non nisi illi duo relinquantur, quos num Hirtio tribuamus, nobis est inquirendum. Nipperdeius, qui primus in quaest. Caesar. de hac re copiose disseruit, librum de bello Alexandrino et commentarium octavum de bello Gallico Hirtii esse putat (Nipp. p. 12—15) atque de epistulae ad Balb. verbis: „Caesaris nostri commentarios — — contexui novissimumque imperfectum ab rebus gestis Alexandriae confeci usque ad exitum non quidem civilis dissensionis, cuius finem nullum videmus, sed vitae Caesaris“ statuit Hirtium, quominus propositum suum conficeret, morte esse prohibitum, ita ut modo illos priores libros, octavum de bello Gallico et librum de bello Alexandrino composuerit, libri autem de bellis Africano et Hispaniensi ab aliis quibusdam hominibus sint scripti, quorum scripta Hirtius matura morte abreptus ad suam componendi dicendique rationem transformare iam non potuerit. Nipperdeius igitur praefationem illam ab Hirtio prius quam libros ipsos scriptam esse putat. Nipper-

*) In locis afferendis usus sum editione B. Dinteri.

deius in quaest. Caesar. p. 32 dicit: „cum enim (Hirtius) certo speraret se commentarios Caesaris usque ad mortem eius confecturum esse, de iis libris, quos scribere volebat, tamquam de perfectis dixit; idque, quominus faceret, nihil impediebat, siquidem nisi una cum iis ne praefationem quidem editurus erat.“

De tempore, quo Hirtius illos libros scripserit, Nipperdeius sententiam profert eos vix ante annum quadragesimum tertium, quo Hirtius cum Pansa consul fuit, scriptos esse. Idque ideo putat, quod in epist. ad Balb. § 2 legimus: „usque ad exitum non quidem civilis dissensionis, cuius finem nullum videmus, sed vitae Caesaris.“ De qua dissensione hoc modo tum demum dici potuisse, cum Octavianus veteranos contra Antonium concitavisset isque ad obsidendum Brutum in Galliam discessisset, quod factum est mense Octobri anni quadragesimi quarti (Nipp. p. 32). Hirtius autem exeunte anno quadragesimo quarto morbo correptus, initio anni quadragesimi tertii, cum nondum plane convaluisset, ad Mutinam profectus est ibique mense Aprili in acie periit (Cic. in ep. ad fam. 11, 13, 1). Hoc modo ratiocinatus est Nipperdeius.

Sed contra eius sententiam nonnulla sunt proferenda. De tempore, quo Hirtius libros duos scripserit, aliter est statuendum. Nam nihil est causae, cur non Hirtius iam aestate anni quadragesimi quarti librum de bello Gallico octavum composuerit et autumno eiusdem anni, ex morbo refectus, laborem renovaverit librumque illum una cum epistula ediderit (H. Schiller, Zur Hirtiusfrage Bl. f. d. bayr. G. W. XVI. p. 246 ss). Postea librum de bello Alexandrino scripsit, cum iam descriptiones bellorum Africani et Hispaniensis, quae a quibusdam aliis hominibus erant confectae, ei praesto esse possent. Nam Hirtium illos libros per belli tempus composuisse verisimile non est. Si igitur dicimus librum de bello Gallico octavum una cum praefatione esse editum, difficultas remota est, quae, si Nipperdei sententiam sequimur, remanet, illam dico verisimile non esse Hirtium perfecta illa „contexui“ „confeci“ prius quam ullum horum librorum scripsisse. Praeterea mos est scriptorum veterum praefationes opere ipso perfecto scribere. Et quominus praefationem, ut vult Petersdorffius (Z. f. d. G. W. XXXIV. p. 215 ss.), omnibus quattuor, de quibus agimus, libris ab Hirtio ipso compositis scriptam esse dicamus, ea res impedit, quia, quod iam supra diximus, libros de bellis Africano et Hispaniensi Hirtius ipse morte abreptus non confecit. Difficultas igitur oritur nulla, si praefationem una cum octavo libro de bello Gallico editam esse statuimus, quae res epistulae verbis: „qui me mediis interposuerim Caesaris scriptis“ maxime commendatur (Landgraf. p. 10). Haec enim verba tantummodo post

confectum octavum librum scribi potuerunt, quia hic modo liber inter priores et posteriores Caesaris commentarios medius est. Quod si statuimus, etiam perfecta illa „contexui“ et „confeci“ explicare possumus. „Contexui“ enim Hirtius suo iure dixit, quia re vera priores Caesaris commentarios de bello Gallico atque posteriores de bello civili libro octavo de bello Gallico contexuit. „Confeci“ antem scripsit Hirtius, quia etiam posteriores libros de bellis Alexandrino, Africano, Hispaniensi componere volebat atque nihil videbat esse, quod, quominus illos libros conficeret, impediret.

Librum octavum de bello Gallico ab Hirtio compositum esse pro certo constat. Contra eos, qui hoc quoque in dubium vocarunt (Weissenborn, Jahns Jahrb. 1849 p. 377 et Forchhammer., quaest. critic.), E. Fischerus (Das achte Buch vom gallischen Kriege und das bellum Alexandrinum. Progr. Passau 1880 p. 4) optime ostendit locum ex Hirtii epistula ad Ciceronem (Cic. in ep. ad Att. 15, 6, 3): „noli sinere haec omnia perire; quae funditus medius fidius rapinis, incendiis, caedibus pervertuntur.“ Idem fere locus occurrit etiam in libro de bello Gall. octavo (8, 25, 1): „cum omnia caedibus, incendiis, rapinis vastasset.“ In eadem epistula (Cic. in ep. ad Att. 15, 6, 2) legimus „ne quod calidius ineant consilium.“ Etiam in libro de b. G. octavo (8, 16, 1. 8, 44, 1) legimus „consilium inire“ (Cf. Landgraf. p. 64).

Progrediendum est ad quaestionem, utrum Hirtius etiam librum de bello Alexandrino composuerit necne. Nam de libro octavo de bello Gallico dubium remanet nullum. Librum de bello Alexandrino, de quo iam agemus, Nipperdeius iudicat ab Hirtio esse scriptum, quod multis exemplis de elocutione utriusque libri allatis confirmare studet, quamquam ipse concedit (p. 14): „inter hos commentarios differentiam quandam intercedere.“ Nam librum de bello Alexandrino dicit maiore facilitate, motu, varietate esse compositum atque esse venustiorem magisque perpolitum et alacriore animo scriptum, ita ut commentariis Caesarianis non multo inferior sit. Sed iam Weissenbornius (l. a.) recte miratur, quod Nipperdeius de libro octavo dicit: „lentitudinem sine motu et, quod maxime reprehendas, sine varietate,“ praesertim cum valde mirum sit, Hirtium contra epistulae verba (§ 8) eas res, quibus ipse interfuerit, minore perspicuitate descripturum fuisse, quam illas, quas ab aliis hominibus vel etiam a Caesare narratas acceperit. Nipperdei sententiam aggressi sunt Vielhaberus (Z. f. d. öst. G. XX. p. 547 ss.) et E. Fischerus (l. a), qui exemplis multis allatis non modo in compositione, sed etiam in singulis vocibus ac periodis apertam discrepantiam inter duos hosce libros ostenderunt, et uterque vir doctus in fine dissertationis suae scripsit verba:

„Es ist noch nicht erwiesen, dass beide Commentare von demselben Verfasser stammen. Et Froehlichius (Realistisches und Stilistisches zu Cäsar und dessen Fortsetzern, Festschrift des Philol.-Kränzchens in Zürich 1887), qui imprimis voces, quae ad rem militarem spectant, respexit, multas inter duos libros detexit discrepantias. Ex permultis exemplis, quae hi viri docti de elocutione horum librorum attulerunt, nonnulla proferam, quibus pro certo elucet hosce libros non ab uno eodemque auctore esse compositos.

Verbum cognoscendi io libro octavo de bello Gallico cum accusativo, in libro de bello Alexandrino cum praepositione „de" coniungitur. In libro octavo: 8, 7, 1 hostium consilia cognoscere, 8, 46, 5 publicas controversias cognoscere. In libro de bell. Alex.: 64, 2 de adventu cognoscere, 65, 4 et 78, 1 de controversiis cognoscere ac statuere. In libro de bell. Alex. verbum dubitandi cum negatione coniunctum (= nicht zweifeln) sequitur accusativus cum infinitivo: 7, 3 aptissimum esse hoc genus ad proditionem dubitare nemo potest. Quod neque apud Caesarem neque in libro octavo legitur. Sed Livius hoc saepe admisit, etiam Cicero in ep. ad fam. 16, 21, 2 et Asinius Pollio apud Ciceronem (in ep. ad fam. 10, 31, 5: illud me — — dixisse nemo vocabit in dubium) (Draeger., H. S. II. p. 370). Locutio „negotium dare, ut" (in b. Alex. 9, 1. 51, 3) in libro octavo non legitur. Caesar autem hac locutione usus est (in b. G. 2, 2, 3). In libro octavo persaepe genetivus pendens a substantivo longius ab eo substantivo removetur, ita quidem, ut plerumque intercedat verbum: 8, 3, 3 qui primum adventum potuerant effugere Romanorum. 8, 10, 4 stultas cogitationes incitabat barbarorum. 8, 19, 2 ex silvis instructa multitudo procedit peditum. 8, 21, 2 et 3. 8, 32, 1. 8, 42, 5. 8, 43, 4 etc. (fere quadragies). Sed in libro de bello Alex. raro hoc invenitur. Huc etiam addendum est plurima vocabula, quae in altero libro occurrant, in altero plane deesse. Verbum „insequens" in libro de b. Alex. nusquam, in libro octavo quater legitur: 8, 23, 1 et 8, 28, 1 nocte insequenti, 8, 48, 10 insequens annus, 8, 50, 4 insequentis anni. Auctor belli Hispaniensis, de quo infra agemus, hac voce persaepe usus est. In libro de b. Alex. legimus (38, 1 et 73, 2) „proxima nocte" (etiam in libr. octav. 34, 2). Proferam etiam vocabula, quae in libro de bello Alex. saepe occurrunt, in libro octavo nusquam leguntur: „subsidium" 11, 1. 14, 2. 21, 3. 25, 6. 59, 2. subsidia 37, 4. 38, 1. 39, 2 (in libro octavo semel legitur subsidiari: 13, 2). „incolumis" 16, 6. 20, 6. 28, 2. 47, 1. 47, 5. — „obtinere" 4, 1 et 2. 13, 2. 15, 2. 18, 1. 19, 2 et 3. 28, 3. 30, 3. 35, 1. 41, 2. 48, 1. 58, 2. 64, 2 (in libro octavo semel: 52, 3). — „periclitari" 13, 4. 16, 1. 43, 1. (in libro octavo

legimus 34, 1 periculum facere) — „versari" 21, 1. 36, 5. 38, 1. 43, 4. 50, 2. observari 36, 4. — „omnino" 1, 5. 6, 3. 18, 4. 19, 5. 20, 5. — „praeterea" 2, 2 et 5. 11, 4. 12, 4, 14, 4. 46, 5. 48, 3. — „postquam" 12, 2. 14, 1. 20, 3. 21, 1. — „intercludere" 3, 4. 5, 3. 20, 5. 27, 3. 43, 1. 53, 2. 56, 2. — „militaris" 31, 1. 34, 2. 48, 3. 65, 1. 74, 1. — „se conferre" 40, 4. 42, 3 et 4. 46, 6. 53, 3. 64, 3. — „certare" 29, 3. 55, 5. — „expugnare" 22, 1. 41, 1. 43, 2. 48, 2. — „propugnare" 17, 4. 26, 2. 30, 6. — „pugna" 15, 5 et 8. 16, 4. Pro voce „pugna" ab Hirtio usurpantur „proelium" (VIII, 12, 4 et 6. 13, 1. 18, 4. 19, 1 et 3. 20, 1. 21, 3 et 4. 29, 3. 31, 1. 36, 6. 42, 3. 43, 3. 44, 4. 48, 7. 49, 3. etiam in libr. de b. Alex. 16, 1 et 6. 21, 4. 22, 2. 25, 5. 29, 2. 31, 2. 32, 2. 40, 5. 42, 3. 43, 3. 47, 2. 61, 1. 65, 3. 69, 1). — „certamen" (VIII, 9, 1. 28, 4. etiam in libro de bello Alex. 15, 7. 16, 1). — „dimicatio" (VIII, 11, 1. 18, 2. 21, 2. 42, 1. etiam in libr. de b. Alex. 11, 2. 22, 2. 25, 3. 32, 4. 46, 1). Plurima eiusdem generis exempla Froehlichius collegit (l. a. p. 48 s.)

Magni etiam momenti est, quod saepe eadem res in his duobus libris non iisdem exprimitur verbis. Froehlichius (l. a. p. 48) dicit: „Im Ferneren mache ich aufmerksam auf Verschiedenheiten in Phrasen, welche bei gleichem Verfasser wahrscheinlich auch gleich lauten würden." in bell. Alex. (44, 5) „discedere ab oppugnatione": in bell. Gall. (VIII, 40, 1) „recedere ab oppugnatione." in bell. Alex. (44, 4) „in consilio remanere: in b. G. (VIII, 39, 1) „in consilio permanere.", in bell. Alex. (60, 1) „rapinis ferro flammaque consumere": in b. G. (VIII, 25, 1) „caedibus incendiis rapinis vastare." in bell. Alex. (14, 4. 75, 1) „terrorem afferre": in bell. G. (VIII, 52, 4) „terrorem inferre." In b. Alex. (44, 4) „necessitatem iniungere alicui": in b. Gall. (VIII, 49, 2) „necessitatem imponere alicui". in b. Alex. (15, 8. 61, 2) „capere locum": in b. G. (VIII, 7, 4 et 7) „deligere locum." in b. Alex. (33, 4. 67, 1) „coercere aliquem": in b. G. (VIII, 46, 4. 54, 5) „continere aliquem". in b. Alex. 63, 5. 73, 2. 75, 1) „neque opinans" (etiam in libr. de bell. Afric. 7, 5. 66, 1): in b. G. (VIII, 19, 3. 36, 4) „imprudens." in b. Alex. (11, 5. 46, 7. 63, 6) „dirimere proelium": in b. G. (VIII, 28, 4) „conficere proelium" et (43, 3) „finem facere proelii". In libro de bell. Alex. legimus verba „occidere" (4, 2. 57, 1), iugulare" (46, 5), „figere" (telis) (30, 6), „configere" (40, 2), sed in libro octavo occurrunt verba „exanimare" (8, 38, 5) et „percutere" (8, 23, 5).

Nonnulla vocabula in utroque quidem libro reperiuntur sed varia significatione. (Froehlichius l. a. p. 49). In libro de bello Alexandrino legimus:

„aequare“ = gleichmachen (dimicationem 46, 4); „agger“ = Dammaterial, Erdschutt (29, 4. 73, 1 et 3. 74, 3); „ascensus“ = das Hinaufsteigen (8, 5); „auctor“ Gutheißer, Zustimmer (23, 2); „percutere“ (foedus 44, 1); „producere“ = weiterführen (aciem 38, 3); „stipendium“ = Sold, Löhnung (2, 2). In libro octavo de bello Gallico eadem verba sed alio sensu usurpantur: „aequare“ = gleichkommen (turris moenibus 41, 5); „agger“ = Wall, Schanze (41, 2 et 4. 42, 2); „ascensus“ = Zugang, Aufstieg (14, 3. 40, 4); „auctor“ = Veranlasser, Urheber, Anstifter, Leiter (7, 5. 21, 4. 32, 2. 47, 2); „percutere“ (caput 23, 5); „producere“ = fortlocken (48, 3); „stipendium“ = Dienstjahr, Feldzug (8, 2). Miramur etiam quod in libro octavo tantummodo vox „obsessio“ (14, 1. 34, 1) usurpatur, cum auctor belli Alexandrini vocabulo „obsidio“ (61, 2 et 6) utatur.

His exemplis allatis librum de bello Alexandrino non ab Hirtio scriptum esse iudicare cogimur. Attamen multa quoque Nipperdei sententiam firmant. Et in libro octavo et in libro de bello Alexandrino legitur illud Hirtianae dictionis proprium „frustra — nam“ (VIII, 3, 4. 5, 3. in b. Alex. 29, 5). In utroque libro occurrit rara illa formula: „non tantum — sed etiam“ (VIII, 6, 2. 41, 6. 52, 5. in b. Alex. 32, 4. 34, 2. 42, 1. 49, 2. 58, 4. 67, 1). Quae formula neque apud Caesarem neque apud Sallustium legitur. Cicero hoc semel admisit, sed modo variationis causa (in or. pro Mil. 23, 61: „neque vero se populo solum, sed etiam senatui commisit, neque senatui modo, sed etiam publicis praesidiis et armis neque his tantum, verum etiam eius potestati — —“). Iam saepius hac formula utitur Livius (9, 37, 2. 21, 32, 4. 30, 2, 9. 37, 53, 24. 40, 34, 14). Cf. Draeger. Hist. Synt. II. p. 98. In utroque libro coniunctio „cum“ plus octogies adhibita est. Praeterea coniunctio sententiarum saepissime per pronomina relativa efficitur. (In libro octavo plus sexagies, in libro de bello Alexandrino plus octogies). (cf. Fischeri librum l. a, p. 27 et Landgraf. p. 65). Nipperdeius (p. 14) adnotat: „Praeterea plura verba coniuncta eadem in utroque libro haec repperi: „at nostri equites — laetitia victoriae elati“ (VIII, 29, 3): „at nostri victoria elati“ (in b. Alex. 76, 3); „celerius opinione eorum“ (VIII, 8, 5): „omnium opinione“ (in b. Alex. 51, 4. 71, 2. 78, 5); „re bene gesta“ (VIII, 27, 5. 36, 1 et in b. Alex. 26, 3. 47, 1), „felicissime“ (VIII, 37, 1): „felicissime celerrimeque“ (in b. Alex. 32, 1. 46, 4. 48, 1. 78, 2 et 5), „praeclarissime“ (in b. Alex. 30, 1. 47, 5); „conflare bellum“ (VIII, 6, 1. in b. Alex. 1, 1); „tempus anni difficile (VIII, 6, 1. in b. Alex. 43, 1); „durissimae tempestates“ (VIII, 5, 4. in b. Alex. 43, 2). In utroque libro omissa sunt verba: „licet, quamvis, antequam, ergo, igitur, subito.“

Quid igitur de libro de bello Alexandrino statuendum est?

Petersdorffius (l. a.), qui contra Nipperdeium facit, dissertatione sua vult ostendere Hirtium singulas quattuor librorum partes ab hominibus quibusdam, qui rebus gestis ipsi interfuissent, scribendas curavisse eorumque descriptiones magis minusve emendatas, bellorum autem Africani et Hispaniensis descriptiones fere integras edidisse. Contra eius sententiam Eussnerus (Bursians Jahresb. XXXV. p. 136 ss.) et Schillerus (l. a.) optime disseruerunt.

Ex Petersdorffii dissertatione id modo pro certo discimus non fieri potuisse, quin Hirtius descriptiones eorum bellorum, quibus ipse non interfuisset, ab aliis quibusdam hominibus confectas in usum vocaret easque ad suam dicendi rationem conformaret, qua ex re fortasse discrepantiae illae, quae sunt inter librum octavum et librum de bello Alexandrino explicari possunt.

Si Petersdorffius id modo dixisset Hirtium in libro octavo et libro de bello Alexandrino componendis aliorum quoque scriptis esse usum, ita ut hoc modo discrepantiae inter hos libros intellegerentur, nemo sane contradiceret „Denn (inquit Schillerus l. a.) eine nähere Untersuchung des bell. Alex. hat mich zu dem Resultate geführt, dass nicht nur zwischen Gall. VIII und Alex. im allgemeinen manche Verschiedenheiten bestehen, sondern auch zwischen den fünf Abschnitten von Alex. selbst. Dass aber diese Verschiedenheiten ihren Grund hätten in der starken Benützung fremder Berichte, habe ich geschlossen theils aus dem Umstande, dass eine Betrachtung der verschiedenen Abschnitte von Alex. in Bezug auf ihr zeitliches Nebeneinander für einen einzelnen die Theilnahme an nur je zwei der fünf Partien möglich, mithin die Benutzung fremder Aufzeichnungen für die übrigen geradezu nothwendig erscheinen lässt, theils aus der verschiedenen Färbung der einzelnen Partien und dem Hervortreten der hirtianischen Eigenthümlichkeiten, besonders in den zusammenfassenden und überleitenden Capiteln.“

Quinque enim partes libri de bello Alexandrino distinguendae sunt, quarum modo prima iure nomine belli Alexandrini inscribitur (c. 1—33); altera parte (c. 34—41) agitur de bello Pontico, tertia (c. 42—47) de rebus Illyricis. Quarta parte (c. 48—64) continentur res in Hispania gestae, quinta bellum cum Pharnace gestum, quibus accedunt duo capita ultima (c. 77—78).

Nullo autem modo fieri potuit, ut auctor libri de bello Alexandrino omnibus his rebus ipse interesset; quare ad unam alteramve partem componendam aliorum descriptiones in usum vocare coactus erat.

Schillerus igitur Hirtium auctorem libri de bello Alex. esse ideo putat, quod imprimis ea capita huius libri, quibus diversarum rerum gestarum descriptiones coniunguntur et conectuntur, ad Hirtii dicendi genus sint composita. Quod autem hoc Hirtii dicendi genus in singulis quinque partibus ipsis non tam plane elucet quam in iis, de quibus modo diximus, capitibus, Schillerus ita explicat: „dass Hirtius seine Quellen überarbeitete, nicht aber eigentlich verarbeitete.“

Et Landgrafius quaestione de hac re facta valde gaudet, quod sibi contigerit auctorem illum detegere, cuius ex scriptis Hirtius res gestas in suis commentariis componendis petiverit, scilicet C. Asinium Pollionem.

Landgrafius C. Asinium Pollionem et commentarios suos de nonnullis, quae in libro de bell. Alex. continentur, rebus gestis et commentarios suos diurnos de bello Africano Hirtio permisisse dicit atque post Hirtii mortem hos, de quibus agimus, libros ab Hirtio nondum editos una cum libris de bello civili edidisse. Liber de bello Hispaniensi num etiam ab Asinio Pollione sit editus, Landgrafius dubitat.

Quaestione huc perducta in animo habeo duas etiam addere partes, quarum priore agam de libris de bello Africano et de bello Hispaniensi, posteriore de illa, quam modo commemoravi, Landgrafii sententia, num verisimile sit C. Asinium Pollionem eas, quas vult Landgrafius, supplementorum partes composuisse.

De belli Africani autem libro hac de causa prius disserendum est, quod latinitate huius libri perspecta melius diiudicare poterimus, utrum C. Asinio Pollioni hunc librum tribuamus necne.

Pars altera.

Libri de bellis Africano et Hispaniensi ab Hirtio non sunt compositi. Uterque enim liber orationem exhibet non solum ab Hirtii Caesarisque dicendi genere sed etiam a solito optimorum scriptorum usu nimium quantum abhorrentem.

Sed ut hi, de quibus iam agemus, libri ab Hirtii Caesarisque commentariis plane discrepant, ita etiam et compositione et elocutione inter se differunt. In libro de bello Africano res gestae plenius sunt relatae, quam aut a Caesare aut ab Hirtio factum est. Et cum Caesarem Hirtiumque videamus seriem narrationis ita instituisse, ut, quae re coniuncta essent, componerent, auctor libri de bello Africano omnia secundum temporis ordinem distraxit (Nipperd. p. 15).

Quod autem in libro de bello Africano reprehendimus, id multo magis in librum de bello Hispaniensi cadit.

Oratio enim incerti auctoris libri de bello Hispaniensi non solum omni splendore ac granditate, sed etiam omni lenitate et elegantia ita caret, ut non iniuria rudis, horrida inconditaque dicatur (Nipp. p. 30). Nam res gestae enuntiatis brevibus, praefractis, omni ornatu nudis ex more commentariorum diurnorum magis enumerantur quam narrantur.

In hoc libro ne minimae quidem res praetermissae sunt, cum vel singulorum hominum transfugia neque solum militum sed etiam mulierum atque servorum, speculatores deprehensi aliaque eius modi accuratissime descripta sint.

Res gestae etiam in hoc libro secundum temporis ordinem dispositae sunt, sed ita, ut plerumque non solum, quid unoquoque die gestum sit, separatim referatur, sed etiam dies noctesque atque partes earum diiungantur (Nipperd. p. 24). Attamen hunc scriptorem interdum videmus ad grandem quandam et numerosam orationem assurgere conari, quod imprimis fit in

orationibus insertis. Elocutionem igitur horum librorum, de quibus iam disputatio est, inquirentes nonnulla vulgaris sermonis propria et a bonorum scriptorum usu recedentia reperimus.

Sed permulta quoque inter librum de bello Africano et librum de bello Hispaniensi discrimina sunt, quibus eos non ab eodem auctore scriptos esse indicare cogimur.

A consuetudine Ciceronis aliorumque bonorum scriptorum recedunt nonnulla verborum formandorum genera. In his libris et imprimis in bello Africano leguntur nonnulla deminutiva, quae plane ad significationem simplicis verbi redeunt. In bello Africano: tentoriolum 47, 5, cum 47, 6 occurat tentorium. — causula parvula 54, 1. navigiolum parvulum 63, 1; etiam Lentulus apud Ciceronem in ep. ad fam. 12, 15, 2 usurpat vocem „navigiolum." lapillus minutus 27, 1. — parvulus 34, 2. 37, 3. 54, 1. 63, 1. quantulus 71, 1. ferocalus 16, 1. — In bello Hispaniensi: belle (= benule) 32, 6 et 7. clanculum 32, 8. — In bello Africano legitur tristimonia (10, 2) pro tristitia. Simile aliquid exibet Petronius „tristimonium" 63 et gaudimonium 61. In bello Hisp. occurrit „excubitus" 64, cum alii scriptores vocabulo „excubiae" utantur. Maxime insolens est usus verbi „collatus" = concursus 31, 2. Hoc vocabulum tantummodo apud Censorinum (de die nat. 1) collationis significatione legitur (Koehler. p. 10)*). Huc etiam addendum est adiectivum „stramenticius", quod exhibet auctor bell. Hisp. 16, 2. Alia huius formationis exempla potissimum apud Varronem, Petronium, Plautum leguntur. Caesar in bell. Gall. 5, 43 hoc aliter expressit: casas, quae stramentis erant tectae; etiam Livius 25, 39, 3 casis stramento tectis. Caesar semel hanc formationem admisit in b. civ. 2, 15: agger ex materia congesticius.

In bello Africano leguntur nonnulla adverbia, quae a bonis scriptoribus nunquam vel raro usurpantur: cruciabiliter 46, 2. ignaviter 81, 1. largiter 72, 5 (etiam apud Caesarem in bell. Gall. 1, 18, 6 largiter posse). citatim 80, 4 = cito (hoc verbum nusquam legitur nisi hoc loco). catervatim 32, 3. minutatim 31, 1. 78, 7 = paulatim (apud Ciceronem in Acad. 2, 16, 49 hoc adverbium significat „stückweise"). ordinatim 12, 2 = geordnet", cum Caesar in b. civ. 2, 10, 5 hoc vocabulum usurpet alia significatione (= reihenweise). diverse 40, 6, quod priscae latinitatis est vocabulum; etiam apud Sallustium in Cat. coniur. 61, 3 (Koehl. p. 14). seorsum 48, 2. dextrorsus 75, 6. etiam Livius hoc verbum usurpat 6, 31.

*) A. Koehler, De auctorum belli Africani et belli Hispaniensis latinitate. Diss. Erlangae 1877.

In utroque libro saepe verba cum praepositionibus „ad, con, ex, de" componuntur, sed ita, ut verbo composito insit significatio verbi simplicis. Sed etiam hac in re hi libri inter se differunt, cum in altero libro altera occurant verba composita.

In bell. Afric.: adaugere 1, 5; (etiam apud Caesarem in b. civ. 3, 58 et in bell. Alex. 12, 2). „commendare" (se fugae) 34, 2, cum apud Caesarem in bell. Gall. 1, 12, 3. 2, 24, 2. 5, 18, 5. 7, 67, 6. et apud Hirtium in b. Gall. 8, 29, 2 legamus „se fugae mandare". „convulnerare" 5, 1. 7, 5. 15, 2. 17, 2. 39, 3. 41, 1. 52, 3. 61, 3. 69, 5. Hoc verbum occurrit etiam apud Senecam rhetorem, Plinium, Curtium, alios. „comminari" 71, 1. etiam Livius et Suetonius hoc verbum usurpaverunt. — „commorari" 2, 2. 3, 1. 5. 18, 5. 24, 1. 32, 1. 38, 2. 48, 5. 53. 63, 3 et 5 bis. 66, 1. 78, 3 et 9. etiam in b. Gall. 8, 44, 5. et in b. Alex. 3, 4. 66, 3. — „condensare" 13, 1. „condensus" 14, 2. 50, 1. non legitur apud Ciceronem, Caesarem, Hirtium. — „commigrare" 20, 4. „consuefacere" 73, 2. boni scriptores utuntur vocabulo „assuefacere". „consuetus" 73, 2. „concurrere contra aliquem" (= currere) 6, 2. „convallis" (= vallis) 7, 6. 50, 1. 66, 1. „depugnare" (= pugnare) 7, 6. 29, 1. 45, 3. 94. 1. „deerrare" 8, 2. 11, 4. „efflagitare" 56, 2. Caesar et Hirtius hoc verbo non utuntur. „enecare" 84, 1. etiam apud Ciceronem de div. 1, 29, 61. 2, 35, 73 et in ep. ad Att. 6. 12. „exporrigere" 42, 2. 78, 4.

In bello Hispaniensi: „apprehendere" 18, 1 (revertit ad portam et hominem apprehendit). „conterrere" 22, 7. 31, 2. „coangustare" 5, 5 bis 23, 7. „concidere" 4, 2. 6, 5. 36, 3, 5. verbum caedendi in hoc libro plane neglectum est. „convallis" (= vallis) 7, 1. 25, 2. 28, 2. „depostulare" 1, 5. „deterrere" 3, 7. „depugnare" (= pugnare) 34, 3. „detineri" (= commorari) 34, 5 Caesar oppido potitur. Dum hic detinetur — — — „efflagitare" 25, 2. 29, 7. „exaggerare" 5, 6 morti mortem exaggerabant. „efficere" (= facere) 30, 6 sui potestatem efficiebant. „exaequare" 5, 6 tumulos tumulis exaequabant.

In utroque libro verba etiam cum praepositionibus „in, per, prae, trans, pro" composita leguntur, quibus boni scriptores vel simplicibus vel cum aliis praepositionibus compositis utuntur.

In bello Africano: „perimpeditus" 58, 5, quod nusquam alibi occurrit. „proloqui" 35, 3 (= verba facere). 44, 4 (= sententiam dicere) „transfuga" 74, 2. „inibi" 23, 1.

In bello Hispaniensi: auctor huius libri verbo insequendi persaepe utitur: 7, 1. 10, 1 et 3. 14, 2. 15, 5. 18, 1 et 6. 19, 3 et 6. 21, 3. 22, 3. 23

1. 25, 1 et 8. 27, 1 et 5. 38, 5. Koehlerus (p. 21) etiam 28, 1 et 37, 2, quibus locis simplex verbum sequendi occurrit, restituendum esse putat verbum compositum, quod mihi quoque verisimile videtur esse. „praepedire“ 31, 6. „transfugere“ 7, 5. 11, 2. 18, 3. 19, 3. 20, 2 et 4. 21, 1. 22, 7. 26, 2 bis. 27, 2. „transfuga“ 16, 5. 18, 5 et 8. 22, 7. Apud Caesarem autem leguntur „perfugere“ et „perfuga“ (idem verbum usurpat auctor b. Hisp. 6, 2) „praefulgere“ 25, 7, quod verbum a bonis scriptoribus non usurpatur.

De declinatione et de coniugatione nonnulla sunt proferenda, quae a bonorum scriptorum consuetudine recedunt.

In bello Africano: „paucus“ 67, 2. rarissime legitur (apud Vitruv. 1, 1, 6 et Gellium 20, 1, 31). Forma genitivi „die“ pro „diei“ legitur in bell. Afric. 61, 1. Hanc formam Caesar non probavit, admiserunt autem Plautus, Sallustius, Livius (Koehl. p. 24). Genetivus „acie“ pro „aciei“ 51, 6 etiam Caesari placuit in b. Gall. 2, 23, 1 in sinistra parte acie constiterant. Dativus „vi“ vocabuli vis 69, 2 (equitibus suis hostium vi oppositis) invenitur sola in inscriptione C. I. L. 5, 837 vi divinae sacrum (Koehl. p. 24). „assentire“ pro „assentiri“ 88, 2. Hanc formam Caesar nusquam admisit, Cicero tandummodo in epistulis, Livius uno loco 1, 54, 1. „insectatus“ significatione passiva 71, 2 (miles ab iis insectatus) legitur etiam apud Plautum et Varronem (Draeger. Hist. Synt. I. p. 134). „aspernari“ sensu passivo 93, 3 (ab omnibus aspernari). „galeari“ significatione mediali 12, 3 (= sich den Helm aufsetzen); apud Caesarem in bell. Gall. 2, 21, 5 legimus galeam induere.

In bello Hispaniensi: „corbis“ 5, 1 masculini generis est (corbes plenos). Sed Cicero hoc verbum feminini generis esse voluit. Forma dativi „planicie“ pro planiciei 24, 3 apud alium scriptorem non invenitur. „quis“ pro „quibus“ 23, 8 (in quis) admisit Cicero solis in epistulis, saepius Sallustius, Livius, Tacitus. „depopulare“ forma activa 42, 6. Hic usus est rarissimus (cf. Koehl. p. 26).

Multa vocabula in his, de quibus agimus, libris insolenti significatione usurpata esse videmus.

In bello Africano: „proclivitas“ 37, 3 (= Abhang), qualitate rei pro re ipsa posita, nullo alio loco invenitur (Koehler. p. 28). „pretium“ eodem sensu ac praemium usurpavit auctor huius libri 40, 5 (pretio pollicitationibusque adducti); sed 35, 2 praemiis pollicitationibusque propositis. „mane“ (apud optimos scriptores adverbii loco) auctor bell. Afric. substantivi loco posuit 42, 1 a mane diei 61, 1 a mane usque ad horam decimam die. „minutus“

(= parvus vel parvulus) 29, 1 (minutis proeliis). 51, 6 (proeliis minutis). Caesar autem scripsit „parvula proelia“ in b. Gall. 2, 30, 1 et 5, 50, 1. „grandis“ pro voce „magnus“ in cotidiano sermone usitatum fuit (Koehl. p. 31). grande praesidium 24, 1. 42, 1. 76, 1. 79, 1. peditatus satis grandis 18, 1. grandis familia 34, 2. grandis numerus 48, 1. Etiam Justinus 41, 4 grandem exercitum dixit. Adiectivo „incertus“ significatio activa supposita et genetivus additus est. incertus locorum 7, 3. 21, 3. 28, 1. Hoc apud poetas maxime legitur. Adverbium „leniter“, cui apud bonos scriptores significatio „sanft, gelinde“ subest, in bello Africano idem significat quod adverbium „lente“. leniter iter facere 6, 5. leniter consequi 12, 2. leniter se recipere 18, 5. leniter accedere 41, 2. leniter procedere 70, 2. In sermone vulgari verbum portandi antepositum est verbo ferendi. „sarcinas in acervum comportare“ 69, 2. sed Caesar in bell. Gall. 1, 24, 3 et 1, 7, 18 scripsit sarcinas in unum locum conferre. „deportare in plostris“ 21, 2. portare merces plostris 75, 3. „exponere“ insolenti significatione obiciendi adhibitum est 10, 4 contra magnas copias se expositos videbant. Huc etiam addam: „non possum pati, quin“ pro „facere non possum, quin“ 84, 1.

In bello Hispaniensi: Substantivum „latro“, quod apud Caesarem et Ciceronem praedonem significat, ab auctore libri de bello Hispaniensi (1, 4. 40, 5) significatione prisca „mercennarii“ usurpatum esse videtur (Koehl. p. 28). „aquila“ pro legione legitur 30, 1 „erat acies tredecim aquilis constituta“, cuius usus vix alterum exemplum invenitur. Substantivum „obscuratio“ omisso genetivo „solis“ 6, 5 (ita illa obscuratione) adhibuit auctor huius libri, cum Cicero semper addat genetivum. „minuta proelia“ 5, 4. Verba „excellentia loca“ 8, 4. 24, 4. 28, 4 ad illud, de quo supra dixi, tumidae orationis studium huius auctoris sunt referenda. „contrarius“ (= adversarius) 1, 5. 22, 6. Adiectivum „notus“ activa significatione legitur 3, 4 „quibus praefecit hominem eius provinciae notum.“ „perperam“ significans „per errorem“ legitur 12, 3 perperam ad nostra castra pervenerant. „intra“ adverbii loco pro intus positum est 35, 2. „se reportare“ pro „se referre“ 40, 2 bene magna manu comparata ad Didium se reportant. „ex aversione“ scripsit auctor huius libri 22, 3 (illi praesidio insecuti ex aversione legatos iugularunt), cum alii scriptores dicant „a tergo“.

Praeterea in utroque libro inveniuntur vocabula quaedam graeca et alia verba inusitata, quae ab sermone urbano abhorrent.

In bello Africano: „hibrida“ 19, 3. „proboscis“ 84, 1 bis 2 et 3. „hippotoxota“ 19, 4. Hoc vocabulo etiam Caesar utitur in b. civ. 3, 4. „cata-

scopus“ 26, 3 pro navigio speculatorio, quod Caesar usurpat in b. Gall. 4, 26, 4. „trieris navis“ 44, 2. penteris“ 62, 5. (In b. Alex. 47, 2 legimus: capit ex eo proelio penterem unam, triremes duas, dicrotas octo). „epibata“ (= classiarius) 20, 1. 62, 1. 63, 3 bis (etiam in b. Alex. 11, 4). „pyra“ (= rogus) 91, 2 a poetis modo usurpatur (Verg. in Aen. 4, 494 et 504. 6, 215. 11, 185 et 204. „suppetiae“ pro auxilio 5, 1. 25, 5. 39, 4. 41, 2. 66, 2. 68, 3. 75, 4. Hoc vocabulum Caesar, Hirtius, Sallustius, Livius non usurpaverunt, legitur autem apud Plautum, Varronem, Apuleium alios. „pote“ 54, 4 et 5 (quantum pote) ad familiare dicendi genus spectat (Koehl. p. 36). „neque opinans“ 7, 5. 66, 1. Caesar scripsit inopinans. in bello Alex. etiam legitur neque opinans 63, 5. 73, 2. 75, 1. „satagere“ idem significans quod laborare 78, 7 legitur apud Plautum, Terentium Petronium, etiam apud Ciceronem in epistulis.

In bello Hispaniensi: „pelagus“ (= mare) 40, 6. Hoc vocabulum legitur apud poetas (Verg. in Aen. 5, 8. in Georg. 1, 142. 2, 41) et apud scriptores recentioris aetatis (Tacitus in ann. 15, 46). „pyra“ pro rogo 33, 3 et 4. „grumus“ = tumulus 8, 6. 24, 2 exstat apud Vitruv. 2, 1. 8, 3 et Plin. 28, 4 et Colum. 2, 18. „nec opinans“ 2, 2. 15, 2. 16, 3.

De syntaxi permulta sunt proferenda, quae in his libris a bonorum scriptorum consuetudine recedunt.

In bello Hispaniensi non semel adiectiva substantivorum loco ponuntur. „proximus“ 3, 5 ut vix proximum agnoscere possent. „vigiles“ substantivi loco positum est 3, 7. 35, 4. etiam apud Hirtium in b. Gall. 8, 35, 4. Caesar hoc nusquam admisit, Cicero semel (in Verr. 2, 4, 43). „loricatus“ 4, 2. 13, 5. 20, 2. „compar“ 23, 4 eandem vim habet, quam vocabulum „commilito“ (etiam apud Plaut.)

In his libris saepe comparativum et superlativum propriam vim amisisse videmus.

In bello Africano: Superlativus propriam vim amisit: 56, 2 ubi coniunctus est comparativus cum superlativo: „inlustriores notissimique.“ Comparativi vim infractam esse docemur ea re, quod comparativo additur adverbium magis: „magis suspensiore animo“ 48, 3. „magis studiosiores“ 54, 5. Hoc fit etiam apud Plautum et Terentium (Koehl. p. 43).

In bello Hispaniensi: „superius demonstravimus“ 28, 4. „quos superius demonstravimus“ 34, 6, cum adverbio „supra“ iam insit comparativi notio. Sed huius usus exempla apud meliores scriptores non inveniuntur (Koehl.

p. 44). Saepe etiam invenimus auctorem belli Hispaniensis adiectivorum significationem appositis adverbiis augere atque amplificare studere (Nipp. p. 27). Ita legimus: „bene magnus“ 1. 2. 4, 2. 12, 4. 13, 4. 15, 6. 16, 2. 22, 6. 35, 2 et 3. 40, 2. 41, 1. „bene multi“ 12, 6. 34, 6. 36, 4. „bene longe“ 25, 2. Adverbium „vehementer“, quod Caesar tantummodo cum verbis coniunxit, ab auctore belli Hispaniensis etiam cum adiectivis coniunctum est: vehementer periculosus 30, 2. vehementer saucius 38, 2.

Auctores belli Africani et belli Hispaniensis pronomina vel falso usurpant vel sine causa cumulant. Ita saepe pronomina reflexiva et demonstrativa inter se commutantur.

In bello Africano: „eis“ pro „sibi“ 33, 1 se et frumentum et, quaecumque res eis suppeteret, communis salutis gratia subministraturos. „eum“ pro „se“ 58, 4 verebatur, ne, si praetergressus esset, ex oppido eruptione facta ab latere eum adorti conciderent.

In bello Hispaniensi: „ei“ legitur pro „sibi“ 22, 5 ita vix periculo liberatus petiit ab oppidanis, ut ei liceret legatum ad Caesarem proficisci. Sed hunc usum etiam apud Caesarem inveniri docet Draegerus (Hist. Synt. I. § 29).

Etiam pronomen reflexivum positum est pro pronomine demonstrativo: In bello Africano: „suo“ pro „eius“ 26, 1 Caesar interim, cum de suo adventu dubitatio in provincia esset — —. In bello Hispaniensi: „sibi“ pro „ei“ 22, 6 iugulationem magnam facit princibusque, qui sibi contrarii fuissent, interfectis oppidum in suam potestatem recipit.

Auctores horum librorum cumulationem pronominum amavisse docemur his exemplis: in b. Afric. 87, 4: „eorum castra hi equites adorti expugnare coeperunt, ideo quod eos Caesaris partibus favisse sciebant, ut eis interfectis eorum pernicie dolorem suum ulciscerentur.“ 11, 4 „neque eam rem eos voluisse scire, qui in praesidiis relicti sui milites fuissent, ne hi propter suorum paucitatem — — metu deficerent.“ Auctor belli Hispaniensis amavit abundantiam pronominis demonstrativi „is“: 1, 4: „cum aliquis ex ea civitate optime meritus civis esset — — — aliqua ei inferebatur causa, ut eo de medio sublato ex eius pecunia latronum largitio fieret“. Cf. etiam 10, 1. 20, 3. 35, 3. In bello Africano legimus „id hoc consilio“ 59, 5. 86, 1, cum Caesar semper scribat „hoc consilio“ vel „eo consilio“ (Caesar in b. Gall. 1, 48, 2. 2, 9, 4. 5, 49, 7. in b. civ. 1, 70, 4, 3, 29, 3). Koehl. p. 50 s.

De temporibus ac modis multae ac mirae dicendi proprietates horum auctorum sunt proferendae.

Primum quidem eorum usus plusquamperfectum saepe loco imperfecti ponendi in enuntiatis relativis: In bello Africano: 23, 1. 34, 5. 43. 44, 1. 75, 2. 76, 2. 88, 3. 89, 1 et 2. Hac temporum commutatione ne optimi quidem scriptores, ut Caesar et Cicero, plane abstinuerunt. (Caesar in b. Gall. 2, 6, 4. Hirtius 8, 2, 1. 8, 54, 3. in b. Alex. 10, 4. 57, 1.) In bello Hispaniensi: 13, 7 qui in ea turre fuerant (pro erant), 14, 2. 16, 2. 40, 6. In bello Hispaniensi etiam coniunctivus plusquamperfecti usurpatur pro coniunctivo imperfecti: 2, 2. 36, 4. 39, 3. Coniunctivus plusquamperfecti positus est pro indicativo imperfecti in b. Hisp. 3, 9. 13, 2. 18, 4. 19, 1. 22, 2 et 3 et 6. 28, 2. 32, 4. 33, 4. 35, 3. 36, 2. 37, 2. Coniunctivus plusquamperfecti ponitur pro indicativo plusquamperfecti: In bello Africano: 35, 1. 77, 1. In bello Hispaniensi 2, 1. 11, 2. 13, 5. 22, 4. 27, 6. 32, 1 et 7. 38, 1. Coniunctivus imperfecti usurpatur pro indicativo imperfecti. In bello Africano: 35, 1 quique cum eo essent (pro erant). In bello Hispaniensi: 13, 6. 32, 8. 35, 2 et 3. 37 1.

Cum apud bonos scriptores particulam „postquam“ semper fere indicativus perfecti subsequatur, ab auctore belli Africani alia etiam tempora ac modi cum illa particula coniunguntur. „Postquam“ cum tempore praesenti legitur in b. Afr. 73, 4 (postquam abhorrere eos videt). Etiam apud Sallustium in Cat. 60, 6 postquam videt. in Iug. 76, 6 postquam vident. „Postquam“ cum indicativo imperfecti: in b. Afric. 78, 3 et 7. 79, 1. „postquam“ particulam etiam coniunctivus plusquamperfecti sequitur in b. Afric. 91, 3 postquam Iuba egisset. Auctorem belli Africani particula „postquam“ persaepe usum esse videmus (cf. Nipp. p. 21).

In bell. Afric. 40, 5 legimus: „postquam — — cum — — Caesar cani iussisset“ et 50, 4 „Caesar postquam — — cum venisset.“ De quibus locis Nipperdeius (p. 17) ita iudicat: „mihi verisimilius videtur scriptorem prioris particulae oblitum alteram superaddidisse.“ Consentit Koehlerus (p. 54 s.) argumentis quibusdam additis. Dicit enim interpolatorem quendam coniunctionem „cum“ vel ante vel post illud „postquam“ sed non tanto intervallo ab illa particula sepositurum fuisse. Koehlerus etiam addit usum auctoris belli Africani coniunctionem „cum“ quam proxime verbum ponendi. Ita legimus in b. Afr, 11, 1 Caesar una nocte in navibus consumpta iam caelo albente cum proficisci conaretur — — 15, 1 Caesar novo genere pugnae oblato cum animum adverteret — — 43, 1 interim Considius — — diu multumque expertus magnisque operibus saepe admotis et his ab oppidanis incensis cum proficeret nihil — — 44, 1 navis una — — ab residua classe cum erravisset. Attamen ego cum Landgrafio (p. 30) faciendum esse puto, qui illud „cum“ nihil nisi

interpolationem esse affirmat. Interpolator enim quidam, qui offendebatur constructione particulae „postquam“ cum coniunctivo plusquamperfecti coniunctae superscripsit „cum“, ut locum utrumque sanaret. Sed, ut supra demonstravimus, auctor b. Afric. postquam cum coniunctivo plusquamperfecti coniunxit. Eodem pertinet 4, 3 quo simulatque captivus cum pervenisset, quem locum Nipperdeius (p. 17) et Koehlerus (p. 55) defendunt. Equidem ego etiam hoc loco „cum“ nihil nisi interpolationem esse puto (cf. Landgraf. p. 27 et 30).

In bello Hispaniensi coniunctum est „dum“ cum coniunctivo imperfecti 23, 2: hic dum in opere nostri distenti essent (Nipperdeius hoc loco illud „dum“ contra codices correxit in „cum“). Ex eodem libro afferendus est locus (36, 2), ubi ablativus gerundii positus est pro participio praesentis: „ita erumpendo (= erumpentes vel eruptione facta) navis incenderunt“ (cf. Koehler. p. 56).

Etiam de casibus nonnulla sunt dicenda.

In bello Africano: Primum afferendus est insolens usus cum substantivo „oppidum“ coniungendi genetivum (Draegerus, Hist. Synt. I. p. 429. Kuehnerus, Ausf. Gramm. der lat. Spr. II. § 83 et § 88 Anm. 6.) In prosa oratione unum modo exemplum legimus in Cic. ep. ad Att. 5, 18, 1 in oppido Antiochiae. In b. Afric. in oppido Uzittae 58, 4. in oppido Zamae 91, 2. Locos duos (36, 2 ex oppido Thisdrae et 87, 1 ad oppidum Paradae) Nipperdeius correxit eumque secutus est Dinterus. Adiectivum „onustus“ cum genetivo constructum est 63, 3 triremem — — onustam remigum epibatarumque (Etiam apud Plautum). verbum „acquiescere“ cum dativo constructum legimus 10, 4 huic acquiescebant homines. Adverbium „clam“, quod si praepositionis loco usurpatur, a scriptoribus cum ablativo construitur (Caes. in b. civ. 2, 32, 8 clam vobis. etiam in b. Afr. 11, 4 clam hostibus). Sed auctor belli Hispaniensis aliter hoc adverbio utitur: clam a praesidiis 18, 4. „clam praesidia“ 3, 2. 35, 3. „clam nostros“ 16, 1. „clam quendam Philonem“ 35, 3. Auctor belli Africani verbum „flare“ transitiva significatione adhibuit 52, 4, pulvisque vento flatus. Eodem fere modo etiam scripsit „iter coeptum pergere“ 69, 4. „perseverare“ transitive adhibitum est 18, 4 ad perseverandum cursum. Accusativum Graecum, qui vocatur, quem poetae saepissime usurpant, legimus in b. Afric. 78, 10 caput ictus et 85, 7 brachium perculsus. „peritus“ cum ablativo constructum legitur 31, 4 mirabili peritus scientia bellandi. Sed Cicero ipse (pro Cluent. 38) scripsit „iure peritus“.

In bello Hispaniensi: Dativus usurpatur, ubi accusativum cum praepositione „in“ exspectamus: oppido represserunt (= in oppidum) 16, 3. planicie

(pro planiciei) deicere (= in planiciem) 24, 3. munitiones iugo dirigere (= in iugum) 38, 6. se recipere castello (= in castellum) 40, 1. Composita verbi „sequi“ cum dativo coniuncta invenimus 14, 3 nostris prosequi. 22, 3 illi praesidio insecuti (sed hunc dativum cum Koehleri (p. 60) pro locutione „praesidii causa“ positum esse dixerim). 38, 5 quibus cedentibus insequebantur adversarii. Verbum „appropinquare“, quod cum dativo plerumque iungitur, auctor belli Hispaniensis cum accusativo coniunxit: 5, 5 ripas appropinquantes.

In hoc libro etiam fit, ut praepositiones (velut ex, de, in) omittantur: 15, 2 pedites levi armatura lecti. 18, 3 suo signo perisse homines triginta. 20, 4 saucii occiderunt aliquot levi armatura. 9, 4 cum maioribus castris Caesari nuntius esset allatus. 50, 2 planicie constiterunt. 30, 1 lateribus — — tegebatur.

Verbum „potiri“, quod apud bonos scriptores ablativus, raro genetivus sequitur, in his, de quibus agimus, libris et cum ablativo et cum accusativo et genetivo construitur. cum ablativo: in b. Afr. 51. 1. 74, 2. 76, 1. 83, 4. 86, 1, 87, 2. in bell. Hisp. 13, 4. 19, 6. 34, 5. 40, 7. cum accusativo: in bell. Afric. 36, 4. 39, 3. 68, 2. 87, 6. 89, 2. in bell. Hisp. 16, 3. cum genetivo: in bell. Afric. 18, 4. 50, 4. 61, 5. 74, 1. in bell. Hisp. 1, 1. 2, 1. (Cf. Landgr. p. 42). Genetivus etiam in libris arte bene dicendi excellentibus invenitur (imprimis „rerum“, „regni“, „imperii“; apud Caesar. in bell. Gall. 1, 3, 7 „totius Galliae“); accusativus autem nunquam cum hoc verbo nisi suspectis locis coniunctus est (cf. Draeger. Hist Synt. p. 527 s). In aliis autem scriptis accusativum hoc modo adhibitum saepius legimus (apud Gell. 13, 1 „mortem“, Iustin. 9, 7 „ultionem“).

Etiam in praepositionum usu auctores, de quibus agitur, interdum a solito dicendi genere abhorrent, cum eas saepe contra morem bonorum scriptorum ponant.

In bello Africano: Verbum „appropinquare“, quod plerumque dativus sequitur, cum praepositione „de“ constructum legimus 23, 2 „donec ad ipsas portas ac murum adpropinquaret.“ (etiam in b. Hisp. 2, 3. 3, 8. 9, 4.). „de navibus egredi“ 11, 2 pro usitata constructione „e navibus egredi“. „de castris educere“ 58, 1, cum Caesar semper scribat „ex castris educere.“ Praepositionem „ex“ cumulate positam esse videmus: „qua ex re commotus“ 46, 4. „commoti ex tali incommodo“ 57, 1. „quibus ex rebus Caesar vehementer commovebatur“ 72, 1. Verbum „interponere“, quod apud Caesarem aliosque scriptores cum dativo structum legimus, auctor bell. Afric. usurpat praeposi-

tione repetita: „et inter eos levis armaturae Numidas et sagittarios interposuerant“, 13, 1. „uti — — levis armatura interiecta inter equites suos interponeretur“ 20, 1. „levemque armaturam inter equites interposuerat“ 60, 4. „exponere contra“ pro locutione „exponere alicui rei“: „contra magnas copias se expositas videbant“ 10, 3. Quo studio auctor bell. Afric. praepositiones casibus nudis antetulerit, docemur etiam hisce exemplis: „tirones in labore defatigare“ 32, 2. „sub onere ac sub sarcinis defatigatos“ 75, 3. „ex nausea recenti defatigata“ 18, 4. „militem defatigabat propter velocitatem“ 71, 3. „fine“ praepositionis loco ponitur 85, 1: „umbilici fine.“ Sed huius usus exempla sunt rarissima (Cato de re r. 113 ansarum infimarum fini. Sallust. in hist. III, 77 D fine inguinum. Ovid. in Pont. 1, 4, 18. in Halieut. 120. etc.). Koehler. p. 75; Landgraf. p. 42.

In bello Hispaniensi: „proxime“ cum praepositione „a“ coniunctum est 15, 3 „proxime a vallo“. „ad subsidium venire“ 31, 5 et „ad subsidium traducere“ 31, 4, cum apud Caesarem semper legamus „subsidio venire“ et „subsidio ducere vel adducere.“ „indignatus de iugulatione“ 18, 9. Praepositio „in“ cum ablativo adhibita est pro „ex“ 6, 5 „ut in ea caede pauci effugerent“ (pro ex ea caede). „versum“ anteponitur substantivo 21, 3 „versum oppidum“, cuius usus nullum apud alium scriptorem exemplum invenitur. Sed 10, 2 et 11, 1 legimus: „ad Corduleam versus“ et 20, 1 occurrit „castra movit Ucubim versus.“

De sententiis secundariis nonnulla sunt proferenda:

In bello Africano: Verbum „imperare“ accusativus cum infinitivo sequitur: „de navibus imperat omnes egredi“ 11, 2 (etiam in b. Hisp. 33, 3: „coenam afferri imperavit“. Caesar in b. Gall. 5, 1, 3 scribit „has omnes actuarias imperat fieri.“ Cicero in Verr. 5, 27 „eodem ceteros piratas condi imperat“). Nipp. p. 26. „usu venire“ cum infinitivo: „usu venisse hoc civi Romano . . . Iubae barbaro oboedientem fuisse“ 57, 3. Participium „consuetus“ cum infinitivo structum legimus 73, 2 „legiones bellare consuetas.“ Qui usus ab optimorum scriptorum dicendi genere abhorret. Draegerus (Hist. Synt. II. p. 335) dicit: „das ist zu bemerken, dass das Particip consuetus c. inf. unclassisch ist, jedoch nicht nur bei Pacuvius und Lucrez, sondern auch bei schlechteren Scribenten der classischen Periode (den Verfassern des Bell. Afric. und B. Hisp.) vereinigt erscheint.“

In bello Hispaniensi: Duobus locis, ubi accusativum cum infinitivo exspectamus, coniunctio „quod“ cum coniunctivo copulata exstat: 10, 2 „suo loco praeteritum est, quod equites — — ad Caesarem venissent“. 36, 1 „dum

haec geruntur, legati Carteienses renuntiaverunt, quod Pompeium in potestate haberent". Particula „quod" neque apud Ciceronem neque apud Caesarem hac ratione adhibita est, sed tantummodo apud poetas et scriptores inferioris ordinis. Verbo „iubere" particulam „ut" additam esse videmus 27, 4 „iussit, ut incenderent." Hic usus etiam apud bonos scriptores nobis obvius fit (Cicero in Verr. 2, 67. Livius 32, 16). Verbo „coniurare" particula „ut" addita est 26, 2 „equites Romanos coniurasse omnes, — — ut transitionem facerent." et 36, 4 „coniurant inter se, ut — — eruptionem facerent". „animadvertere, ut" scribit Nipperdeius cum codicibus 36, 2 „quod Caesar cum animadverteret, si oppidum capere contenderet, ut homines perditi incenderent." Sed Kochius (in Mus. Rhen. XVII. p. 627) hunc locum correxit infinitivo „fore" addito, quem secutus est Dinterus. Verbum „orare" infinitivus sequitur 13, 5 — — „missos facere loricatos — — orabant." Etiam apud Plaut. in mil. glor. 1405 „oratus sum huc venire." apud Vergil. in Aen. 9, 231 et in Ecl. 2, 43.

Abundantiam quoque sermonis in his, de quibus agimus, libris invenimus. Saepe enim verba idem vel aliquid simile significantia coniuncta reperimus, ita ut tumidus sermo efficiatur.

In bello Africano legimus: „animum mentemque" 88, 2. „inlustriores notissimique" 56, 3. „libentes cupidique" 90. 4. „oculos dispositos directosque habere" 26, 5, „idem facit Scipio atque reducit" 76, 2. „idem Sulla fecit — — ac largitus est" 87, 8.

In bello Hispaniensi: „tempestate adversa vehementique vento" 3, 5. „in statione et in excubitu" 6, 4. „turribus et munitionibus" 8, 3. „aditus ascensusque" 8, 4. „e regione et in conspectu" 16, 2. „facinus nefandum et scelus" 16, 4. „ad aras et focos" 16, 4. „diei solisque serenitas" 29, 4. „res fortunaeque" 29, 5. „tragulis iaculisque" 32, 3. „pecuniam et argentum" 33, 3. „fasces imperiumque" 42, 6. „agros provinciamque" 42, 6. — „notum et non parum scientem" 3, 4. „montuosa et natura edita" 7, 3. „impeditam difficilemque" 8, 2. „avidi cupidique" 25, 6. „palustri et voraginoso" 29, 2. „mirificum et optandum" 29, 4. „longe lateque" 8, 3. — „diruendas et incendendas" 16, 2. „relicti et deserti" 17, 3. „oppressam et iugulatam" 19, 3. „fusi fugatique" 31, 8. In hoc libro commemorandum est etiam hoc pleonasmi genus: „maiores augebantur copiae" 1, 5. „celeri festinatione" 2, 1. 38, 6.

Adverbia verbis cumulate adiuncta videmus.

In bello Africano: „ante praemittere" 50, 3. 86, 3. „rursus redire" 11, 3. 32, 2. 76, 2, quibus locis non de altero reditu agitur. „rursus se recipere" 25, 5. 33, 5. 63, 5. 85, 2. „rursus renovare" 14, 3. 18, 2.

In bello Hispaniensi: „ante praemittere" 4, 1. „rursus recurrere" 40, 7. Huc etiam referam haec exempla: „propius adpropinquare" 29, 8. „praeterea accedere" 30, 1. 41, 4. „noctis tertia vigilia" 11, 2. Praeterea afferendus est horum, de quibus agitur, auctorum insolens usus substantivum in enuntiatis relativis repetendi (quod etiam Caesar saepe admisit).

In bello Africano: „ad oppidum — — in quo oppido" 23, 1. „signum observare — — quo signo dato" 80, 5. In bello Hispaniensi: „contentio — — ex qua contentione" 5, 4. Hoc dicendi genus vulgare esse docet Koehlerus (p. 82).

In utroque libro saepe fit, ut pro simplici verbo duae voces ponantur, quod maxime auctoris belli Hispaniensis proprium est.

In bello Africano: clamorem facere" 80, 5 (Caesar in b. G. 3, 22, 4. 7, 81, 2. in b. civ. 3, 92, 5. et Hirtius in b. G. 8, 29, 3 exhibent „clamorem tollere." etiam in b. Alex. 5, 2). „colloquia fieri" 51, 3. „missum facere" 54, 5. „insidias facere" 35, 5 (Caesar in b. G. 5, 32, 1. et in b. civ. 3, 37, 5 scribit „insidias collocare" et in b. G. 3, 20, 4 „in insidiis collocare." Hirtius in b. G. 8, 12, 48 adhibet „insidias disponere"). „animum addere" 48, 5. 52, 3. 75, 4. 87, 4, cum Caesar in b. G. 7, 70, 3 usurpet „animum augere". „fossas facere" 35, 4. At Caesar scripsit in b. G. 7, 72, 1 „fossam ducere", in b. G. 1, 8, 1 „fossam perducere", in b. civ. 3, 46, 5 „fossam instituere". „puteum facere" 51, 5 (Caesar in b. civ. 3, 49, 4 exhibet „puteum fodere"; etiam in b. Alex. 8, 9). „saucium facere" 70, 5. „exspectationem facere" 14, 1. „considerationem facere" 73, 1.

In bello Hispaniensi: Participium praesentis cum verbo „esse" iungitur 29, 2 „currens erat" (cf. Draeger. Hist. Synt. I p. 267: „Eine seltene Art periphrastischer Coniugation ist das Particip des Praesens mit Formen von „esse"). Saepissime per verbum „facere" et idoneum substantivum verbum simplex circumscriptum est. „eruptionem facere" 3, 8. 12, 5. 12, 6. 13, 6. 16, 1 et 2. 34, 6. 36, 2 et 4 (at 36, 2 „erumpere"). „concursum facere 22, 4. 23, 5. 25, 2. 31, 1 (numquam concurrere). „clamorem facere" 3, 8. 14, 4. 25, 8. 30, 7. 31, 1 (16, 4 legimus „clamare"). „deditionem facere" 20, 1. 27, 5. 36, 4 (at 17, 2. 19, 5. „dedere"). Caesar in b. G. 2, 33, 2 et 3, 3, 1 admisit „deditione facta". „iactus facere" 9, 3 („iactare" 12, 4). „iugulationem facere" 16, 4 bis. 22, 6. „transitionem facere 26, 2. „verbum facere" 3, 7. „missos facere" 12, 3. 13, 5. „facinus facere" 16, 5 (Caesar in b. G. 6, 13, 5. 7, 38, 8. 7, 42, 4 scribit „facinus admittere"). Huc etiam referendum est auctorem belli Hispaniensis constanter pro simplici verbo „vulnerare" scripsisse „vulneribus adficere": 9, 3. 12, 4. 15, 4. 16, 3. 23, 2 et 8. Hunc usum

humilis dicendi generis esse docuit Degenhartius*) (p. 6) multis exemplis ex Petronio allatis. C. Fleischerus (in observat. crit. de bell. Hisp. p. 26) ita iudicat: „Est hoc proprium sermonis vulgaris, sicuti nostrum „machen" semper in ore est hominum rusticorum et plebeiorum."

Contra hanc verborum abundantiam, quam modo demonstravi, auctores belli Africani et belli Hispaniensis multa etiam breviloquentiae exempla exhibent. Saepe enim fit, ut verba transitiva sine obiecto ponantur.

In bello Africano: „movere" 7, 1 (= castra movere). „praeesse" 22, 1. 28, 1. 33, 3. 34, 2. 36, 1. 76, 1. 79, 1. 86, 3. 93. 1 (Caesar semel hoc admisit in b. civ. 3, 12, 1 „qui ibi praeerat"). „tribuere" (= veniam tribuere) 89, 5. „vehi" (= equo vehi) 3, 4.

In bello Hispaniensi: „movere" 20, 1; sed in eadem paragrapho legimus „castra movit Ucubim versus." „praeesse" 27, 2. „obscurare" = (Finsternis erregen) 3, 5 quae vis tempestatis ita obscurabat. „insternere" 33, 3 imperavit — — optimis insternendum vestimentis. „occupare" (= opprimere) 31, 4 ne ab latere nostri occuparent. „applicare ad terram" (scilicet naves) 37, 3. (etiam apud Caesarem simile aliquit legitur in b. civ. 2, 23, 1 „appellit ad eum locum"). „impedire" 38, 2 quae res maxime (eum) impediebat. „circummunire" 38, 6 „opere circummunire (adversarios) instituunt."

Verba transitiva pro intransitivis usurpata sunt:

In bello Africano: „convertere" (= reverti) 9, 1 Ruspinam convertit „recipere" (se recipere) 18, 2 (sed in eadem paragrapho legitur „se recipere.)

In bello Hispaniensi: „dirigere" 29, 2 hinc dirigens proxima planicies aequabatur. „habere" (= se habere) 32, 7 eum minus bello habere.

Interdum etiam fit, ut omittantur formae verbi esse.

In bello Africano: „sunt" omittitur 16, 4. 19, 1. „erat" 12, 2. 26, 5. Huc addam locum 4, 3: „unde, inquit, istas?" (sc. litteras accepisti) (cf. Draeger. H. S. I. p. 179).

In bello Hispaniensi: „est" omittitur 26, 3 prout nostra felicitas (sc. est), 12, 5. „sunt" 31, 10. „sint" 42, 5. „erat" 7, 5. „erant" 28, 3. 34, 2.

Auctoris belli Hispaniensis maxime proprium est sententias certis quibusdam temporum significationibus coniungere. Creberrimus est vocabuli temporis usus: „insequenti tempore" 18, 6. 23, 1. 27, 1 et 5. „eius diei praeterito tempore" 14, 1. „eius diei insequenti tempore" 15, 5. „huius diei extremo

*) J. Degenhart, De auctoris belli Hispaniensis elocutione et fide historica. Diss. Wirceburgi 1877.

tempore" 16, 1 „idem temporis" 3, 1 et 5. 12, 3. 13, 3. 20, 4. „id temporis 3, 7. „eodem tempore" 16, 4. 18, 3 et 7. 19, 2 et 5. 20, 2. „hoc praeterito tempore" 11, 3. 20, 3. 22, 1 et 7. „praeterito tempore noctis" 12, 5. „nocturno tempore" 2, 1. 22, 6. „matutino tempore" 6, 4 („mane" legitur 20, 2). „primo quoque tempore" 3, 2. 5, 7. 26, 5. „omni tempore" 3, 3. „exiguo tempore" 15, 3. „ex eo tempore" 27, 2. „eo tempore" 28, 4. 42, 1. „mirificum et optandum tempus" 29, 4. „novissimo tempore" 33, 4. „nullo tempore" 36, 1. 42, 5. („nunquam" legitur 15, 6). „ullo tempore 42, 5. „hoc bello et praeterito tempore" 42, 3. Huc etiam pertinent: „eodem die" 11, 2. „hoc die" 26, 2. „eo die" 13, 2. 27, 3. „ea nocte" 10, 2. 20, 5. „eadem nocte" 18, 9. „vigilia secunda" 12, 4. 19, 1. „noctis tertia vigilia" 11, 2. „postero die" 11, 1. 12, 1. 13, 1. 21, 1. 24, 1. „ita postero die" 17, 1. „sequenti die" 28, 1 „insequenti die" 21, 3. 25, 1. „item insequenti die" 14, 2. „insequenti luce 10, 1. 19, 3.

Adverbium „ita" summo studio ab auctore b. Hisp. adhibitum est; nam non minus tricies vel quadragies exstat (cf. Degenh. p. 9). Verba „atque, verum, vero, igitur, ergo, proinde, ubi, postquam, antequam, quamquam" toto libro nunquam leguntur. Neque minus auctor belli Africani studio voces quasdam saepissime usurpandi inductus fuisse videtur. Vocabulum enim „postquam", quod in libro octavo de bello Gallico nunquam, in b. Alex. quater legitur, in bello Africano plus tricies usurpatur (cf. Nipperd. p. 21). Verbum „praeterea" sedecies, „levis armatura" non minus tricies invenimus. Adverbium „interim" plus sexagies usurpatum est. Cum apud Hirtium constanter „repente", nunquam „subito" legamus, in bello Africano voce „repente" neglecta „subito" plus vicies usurpatur (cf. Nipp. p. 22).

Infinitivus historicus, quo Caesar raro, Hirtius nunquam utuntur, in bello Africano solito saepius exstat, cum in b. Hisp. nonnullis tantum locis occurat. In bell. Afr. 1, 3 et 5. 6, 7. 7, 4. 8, 5. 12, 2. 15, 2. 16, 1 et 4. (19, 1). 20, 1. 21, 1. 24, 2. 25, 5. 26, 6. 30, 1. 32, 3. 35, 1. 39, 1. 50, 3. 52, 5. 61, 7 et 8. 70, 3. 71, 1. 78, 6. 82, 2. 85, 3. In bell. Hisp. 1, 2. 29, 5. 33, 4.

His, quae attuli, exemplis docemur libros de bello Africano et de bello Hispaniensi non ab uno eodemque homine esse scriptos. Neque quemquam negare puto bellum Hispaniense, cuius auctor incertus est, multo inferius esse bello Africano.

Pars tertia.

Landgrafius opusculo suo, de quo iam agemus, ostendere voluit C. Asinium Pollionem praeter commentarium de bello Africano etiam descriptionem rerum in Hispania annis 48.—47. gestarum Hirtio petenti permisisse. Hirtium autem Pollionis commentarium de rebus in Hispania gestis fere integrum descripsisse (b. Alex. cap. 48—64). Sed quominus omnia supplementa expoliret ederetque, matura morte esse prohibitum. Asinium Pollionem autem Hirtii commentarios confecisse atque foras dedisse.

Si Landgrafius recte iudicat, liber octavus de bello Gallico, Caesaris commentarii de bello civili,*) libri de bello Alexandrino et de bello Africano, quos Hirtius magis minusve confectos reliquerat, ab Asinio Pollione completi atque editi sunt. De bello Hispaniensi Landgrafius quid iudicet, incertus atque dubius est: „Ob Pollio (Landgraf. p. 16) das bellum Hispaniense in der Form, wie es uns in den Handschriften überliefert ist, gleichfalls im Nachlasse des Hirtius vorfand oder ob es erst später dem Corpus Caesarianum einverleibt wurde, kann ich nicht entscheiden. Jedenfalls steht es nach Composition und Sprache tief unter dem bell. Africanum.“ Sed Hirtio, qui rebus illis in Hispania gestis ipse interfuerat, ut supra demonstravimus, ad hunc librum componendum aliorum hominum scriptis non opus erat. Quare Landgrafius recte putat Hirtium, nisi matura morte abreptus esset, librum de bello Hispaniensi ipsum scripturum fuisse.

Quid igitur de C. Asinio Pollione statuendum est?

Primum inquirendum esse puto, num omnino fieri potuerit, ut Asinius Pollio librum de bello Africano composuerit, deinde Asinii Pollionis, quae habemus, genuina scripta cum his supplementorum partibus, quas Landgrafius Pollioni tribuit, conferenda atque comparanda sunt.

*) Verisimile est commentarios de bello civili a Caesare ipso non editos esse; ultima enim libri tertii capita ab alio auctore sunt addita.

Bello Africano Asinius Pollio interfuit (cf. Plutarch. Caesar. 52), quare fieri potuit, ut commentarios diurnos de his rebus conficeret.

Quae cum ita sint, iam progrediar ad quaestionem alteram, num re vera librum de bello Africano a C. Asinio Pollione compositum esse iudicemus.

Ex Asinii Pollionis scriptis perpauca ad nostram aetatem pervenerunt. Praeter nonnulla fragmenta, quorum unum maius apud Senecam rhetorem (in suas. 6, 24) asservatum est, tres habemus epistulas, quas Pollio ad Ciceronem scripsit (Cic. in ep. ad fam. X, 31—33).

Quae Asinii Pollionis scripta si pervestigamus, verbis priscis ac poeticis eum libenter usum esse videmus. Cum ea re optime consentit, quod Quintilianus (10, 1, 113) de Pollionis dicendi ratione iudicat: „a nitore et iucunditate Ciceronis ita longe abest, ut videri possit saeculo prior.“ Quantam autem vim illa Asinii Pollionis elocutio ad posteriores rerum scriptores velut ad Livium, Velleium, Tacitum habuerit, ostendit Schmalzius (Karlsruher Festschrift 1882 p. 76—101).

Sed iam redeat, unde aberravit inquisitio. Landgrafius, qui epistulas fragmentaque Asinii Pollionis cum bello Africano comparavit (p. 33—37), multa detexit, quae propria sunt et Pollionis et libri de bello Africano. Qua de causa librum de bello Africano ab Asinio Pollione scriptum esse Landgrafius iudicat.

Pollionis loquendi generis proprietates imprimis has esse affirmat (p. 37): „pro contione dicere, nullum vestigium discedere: quonam modo, in agris et in villis, nactus (occasionem); declinatio nominis proprii „Bogud“ (regnum Bogudis), in potestate sua tenere, praenomen postpositum („Sulla Faustus“ in b. Afr. 87, 5, „Gallus Cornelius“ in ep. ad fam. 10, 32, 5), vox „legio“ singulari numero adhibita, quamquam de pluribus agitur legionibus, consuetudo distributiva ponendi pro cardinalibus; „cupidissime“ (= libentissime), circumlocutiones per verbum „facere“; se ducere, subducere, depugnare, pollicitatio.“ Praeterea etiam addit: „nullo negotio, trucidare, portendere, et hercules, servitia, quia.“

Sed contra Landgrafium nonnulla dicenda sunt. Primum enim hae, quas attulit vir doctissimus, Pollionis sermonis proprietates non tam multae sunt, ut pro certo librum de bello Africano Asinio Pollioni tribuere possimus. Deinde ne omnes quidem voces locutionesque, quas Landgrafius Asinii Pollionis proprias esse affirmat, re vera illi scriptori soli sunt tribuendae, quia singulae apud alios scriptores atque etiam apud Caesarem leguntur.

Ut hoc, quod dico, probem, haec proferam: Ad „quonam modo“: ecquonam modo occurrit apud Ciceronem in ep. ad Att. 9, 9, 1; simile aliquid legitur in Cic. or. pro Mil. 32 „quonam igitur pacto.“ Ad „in agris et in villis“: Cicero in Verr. 2, 92 scribit „circum agros eius villasque.“ ad „occasionem nactus.“ Caesar in b. civ. 3, 9, 6 scribit nacti occasionem (etiam in b. Gall. 8, 28, 5); „occasionem nancisci“ legitur etiam in b. civ. 3, 85, 3. Participium nactus reperitur: in b. Gall. 1, 53, 3. 4, 23, 1 et 6. 4, 35, 1. 5, 7, 4. 5, 58, 4. 6, 35, 10. 7, 47, 7. 7, 56, 5. 7, 63, 3. in b. civ. 1, 9, 1. 1, 31, 1 et 2. 1, 51, 6. 1, 70, 3 (bis). 1, 74, 1. 1, 80, 3. 2, 4, 5. 2, 6, 2. 2, 14, 5. 2, 22, 2. 2, 28, 2. 3, 3, 1. 3, 6, 3. 3, 8, 3. 3, 9, 6. 3, 23, 2. 3, 25, 3. 3, 26, 1 et 4. 3, 38, 4. 3, 54, 2. 3, 96, 3 et 4. 3, 101, 2 et 4. 3, 108, 2. in b. Alex. 20, 6. Forma „nanctus“ legitur in b. G. 4, 36, 3. 7, 9, 4. 7, 32, 1. 7, 67, 5. Apud Priscianum (in grammat. lat. 2, 513, 7) legimus: „nanciscor etiam nactum facit, absque n, ut Probo et Capro et Pollioni et Plinio placet.“ Sed exemplis permultis, quae ex Caesare attuli, quominus hanc formam Pollionis propriam dicamus, impedimur. ad „nullum vestigium discedere“: apud Pollionem (in ep. ad. fam. 10, 31, 6) hoc legitur. Locum autem, quem Landgrafius e bello Africano (73, 3) attulit, vir doctus contra codices, qui exhibent „ab se suoque vestigio.“ mutavit in „ab se suisque vestigium.“ Hoc tum demum fieri poterat, si pro certo constaret bellum Africanum ab Asinio Pollione esse compositum.

Quod Landgrafius et apud Asinium Pollionem (in ep. ad fam. 10, 33, 3 binis tabellariis) et in bello Africano (81, 1 „quinae cohortes“ et 21, 1 „ternae cohortes) distributiva posita esse dicit pro cardinalibus, equidem ego negaverim. Nam nihil est causae, quod non omnibus his locis distributiva proprio sensu adhibita esse iudicemus. Ille Pollionis locus (Cic. in ep. ad fam. 10, 33, 3) „binis tabellariis in duas naves impositis“ optime intellegitur, si dicimus in utramque navem binos impositos esse tabellarios. Sed licet hoc loco distributivum positum sit pro cardinali, tamen in bello Africano hoc non factum est. In bell. Afric. 81, 1, „ad ipsa cornua quinis cohortibus contra bestias collocatis“ distributivum proprio significatione adhibitum est; etiam altero eiusdam libri loco (21, 1) id factum est: „opera interim ipse cotidie circuire et ad ternas cohortis in statione habere.“

Verbo „utrobique“ utitur etiam Cicero in ep. ad fam. 9, 6, 2. Verbum „depugnare“ etiam in b. Gall. 7, 28, 1 et in b. Hisp. 34, 3 legitur.

Circumlocutiones per verbum faciendi, quas Landgrafius Asinii Pollionis proprias esse dicit, multo saepius in bello Hispaniensi occurrunt. Qua re docemur hunc fuisse usum vulgarem.

Minimi sane momenti est, quod Landgrafius verbum „pollicitatio“ Pollionis proprium esse affirmat. Etsi Cicero et Hirtius hoc vocabulo non utuntur, tamen Caesar saepius hoc verbum usurpavit: in b. Gall. 3, 18, 2 (huic magnis praesidiis pollicitationibusque persuadet), 3, 26, 1 (ut magnis praemiis pollicitationibusque suos excitarent), 6, 12, 2 (eos ad se magnis iacturis pollicitationibusque perduxerant), 7, 15 (omnibus pollicitationibus ac praemiis deposcunt) 7, 31, 1 (eas donis pollicitationibusque alliciebat); in b. civ. 1, 57, 4 (recentem eorum pollicitationem animis continebant), 3, 9, 2 (cum neque pollicitationibus — — permovere posset), 3, 108, 3 (incitatum pollicitationibus).

Ellipsis „in praesentia“ (cf. Landgr. p. 36) etiam apud Caesarem legitur in b. Gall. 1, 15, 4. 5, 37, 1. 6, 43, 3. 7, 2, 3. in b. civ. 1, 6, 4. 1, 30, 1. 1, 42, 1. 3, 85, 5. etiam in b. Hisp. 33, 3.

Quae cum ita sint, C. Asinium Pollionem librum de bello Africano composuisse pro certo affirmari non potest.

Landgrafius nititur etiam eo argumento, quod in his Caesaris commentariorum supplementis nullo loco Asinii Pollionis mentio fit. Qua ex re vir doctissimus concludi posse censet (p. 18 s.) Pollionem ipsum consulto nomen suum reticuisse. Sed huius generis argumentum non multum valere omnes puto concedere, praesertim cum Landgrafius argumentis de Asinii Pollionis dicendi genere allatis nobis non plane persuaserit (cf. N. Ph. Rundsch. 1889 p. 147 ss).

Verisimile sane esse concedimus Asinium Pollionem librum de bello Africano composuisse, sed tamen nullam esse in hac re dubitationem dicere non possumus. Nimis igitur festinavisse dixerim Ed. Woelfflinum et Ad. Miodonskium, qui viri docti librum ediderunt, qui inscribitur: C. Asini Pollionis de bello Africo commentarius.

Cum igitur ne librum quidem de bello Africano Asinio Pollioni pro certo tribuendum esse ostenderimus, ea, quae Landgrafius de reliquis horum supplementorum partibus Pollioni tribuendis protulit, ita modo valent, ut dicamus verisimile esse Asinium Pollionem illos libros complevisse atque edidisse. Sed pro certo hoc credere nulla re cogimur, quamquam Landgrafii de ea re iudicium acerrimum atque maxime ingeniosum esse nemo negabit. Sed Landgrafius optime meritus est, quod inquisitione diligentissima atque subtilissima de bello Alexandrino instituta dubitationem nobis eripuit, quasnam libri de bello Alexandrino partes A. Hirtio tribuamus. De reliquis autem eiusdem libri partibus, quas ille vir doctissimus vel ab Asinio Pollione scriptas esse

5

vel ad Caesaris ipsius adnotationes referendas esse affirmat, res aliter se habet. Idem dicendum est de iis commentarii tertii de bello civili capitibus (3, 108—112), quae Landgrafius ab Asinio Pollione confecta et composita esse censet.

Inveniuntur sane in his capitibus nonnulla a Caesaris loquendi ratione abhorrentia (Dinter. in quaest. Caesar. p. 32 ss; H. Schiller. Bl. f. d. b. G. W. 1880 p. 396 ss; Landgraf. l. a. p. 74—82), quibus docemur illa capita ab alio scriptore esse addita.

Sed etiam hanc rem Landgrafius, qui ea capita Asinio Pollioni tribuit, plane diiudicasse non videtur. Nam ex exemplis de elocutione sumptis, quae Landgrafius ad firmandam sententiam suam protulit, nonnulla non solum apud Pollionem et in bello Africano sed etiam apud Caesarem ipsum et in bello Hispaniensi leguntur.

De vocibus „nactus", „pollicitatio", „insequens" iam supra diximus. „adiutor" (in b. civ. 3, 108, 2) legitur etiam in b. Gall. 5, 41, 8. 5, 38, 4. in b. civ. 1, 7, 1. 3, 62, 4. „fidens" (in b. civ. 3, 111, 1) occurrit etiam in b. Hisp. 25, 3 (qui fidens viribus ex adversariis sibi parem esse neminem agitare coepit). „irrumpere conari" (in b. civ. 3, 111, 1 domum eius irrumpere conatus) legitur in b. Gall. 6, 37, 1 (in castra irrumpere conantur), in b. civ. 3, 67, 5 (cum irrumpere nostri conarentur). Praeterea legimus in b. civ. 1, 27, 3 „ne milites oppidum irrumperent" et 2, 13, 4 „quin oppidum irrumperent". Vocabulum „mirificus" (in bell. civ. 3, 112, 1) usurpatur etiam in b. Hisp. 29, 4 „mirificum et optandum tempus". „inductus" (= ductus) legitur in b. civ. 3, 112, 8 „in hoc tractu oppidi pars erat regiae exigua, in quam ipse habitandi causa initio erat inductus". Simile aliquid legitur in b. Hisp. 42, 2 (multis legationibus ab se in senatum inductis).

His igitur rebus intellegimus ea, quae Landgrafius de Asinio Pollione ostendere voluit, non tam certa atque firma esse, ut sine ulla dubitatione eius sententiam sequamur.

Hoc etiam dicendum est de iis libri de b. Gall. octavi locis, quos ab Asinio Pollione insertos esse putat Landgrafius. Quod imprimis factum esse iudicat ille vir doctissimus (p. 67 ss) in huius libri capitibus: 2, 5, 23, 34, 46, 47, 48, 53, 54, 55.

Progrediar iam ad eam Landgrafii dissertationis partem, qua, ut supra dixi, perspicue atque dilucide demonstravit, quae partes libri de bello Alexandrino ab Hirtio ipso sint compositae.

Hirtius igitur Landgrafio auctore scripsit libri de bello Alexandrino partes hasce: cap. I. 1, 4; II, (1),*) (2), 3, (4), 5; VIII, 1—5, (6); IX, (4); X, 4—6; XI, 3—4; XII, 1, (2), 3, (4); XV, 2; XVI, 1—2; XXI, (1), 5; XXII; XXIII; XXIV, 3—6; XXV, 1—4, (5—6); XXVI, 1, (2), 3; XXVII, 1—4, (5—6), 7; XXVIII, (1), 3; XXIX, (1), 2—5; XXX, (4), 5, 6; XXXI; XXXII, 1, 3, 4; XXXIII, 1, (2), 3—5; XXXIV; XXXVI, (3—5); XXXIX, (1), (2); XXXX, 1—2, (3), 4, (5); XXXXI; XXXXII—XXXXV; XXXXVI, 1—3, 5—7; XXXXVII, 1—4; XXXXIX, (2); L, 1, (2); LI, 2—3, (4); LIII, (5); LIV, (1—3); LVI, 5; LVIII, (1), (4); LX, (5); LXI, 5—6; LXII, (3); LXIII, (4), (5); LXIV, 1, (2), 3; LXV—LXVIII; LXIX, 1, (2), 3; LXX—LXXII; LXXIII, (2—3); LXXIV, (1), 2—4; LXXV, (1), 2—3; LXXVI—LXXVIII.

Haec Landgrafii sententia confirmatur iis rebus, quas de libro de b. G. octavo et de bello Alexandrino exposuimus. Omnes enim Hirtii loquendi proprietates etiam in his, quas attuli, belli Alex. partibus inveniuntur, cum omnia fere eaque gravissima discrimina, quibus impediebamur, quominus Nipperdeium totum commentarium de bello Alexandrino Hirtio tribuentem sequeremur expediantur.

Summa igitur quaestionis meae haec est:

Hirtius composuit librum de bello Gallico octavum atquae eas, quas ostendit Landgrafius libri de b. Alex. partes. Epistulam autem ad Balbum Hirtius libro octavo confecto scripsit.

Liber de bello Africano multis in rebus cum C. Asinii Pollionis dicendi genere consentit; neque tamen hunc librum a Pollione compositum esse Landgrafius pro certo ostendit.

Commentarius de bello Hispaniensi, cuius auctor incertus est, cum a reliquis supplementis tum a libro de bello Africano discrepat sermonemque exhibet cotidianum ac vulgarem.

De iis belli Alexandrini partibus, quas cum Landgrafio ab Hirtio non compositas esse iudicamus, atque de ea re, quod Landgrafius Asinium Pollionem omnia, de quibus agimus, supplementa edidisse affirmavit, nihil dicendum est nisi Horatianum illud: „Adhuc sub iudice lis est."



*) Paragraphi uncis inclusae singulas Caesaris vel Pollionis (ut vult Landgrafius) dicendi proprietates exhibent.